VER CHEMICUM,
IN NUPTIIS,
VIRI
ARTIS PHARMACEUTICAE PERITI
ET HUMANISSIMI,

DN. FRANCISCI
Nuttig/

CIVIS ET PHARMACOPOLAE THORUN.
CUM
BEATI
DOMINI
CHRISTIANI HOFFMANNI,
CONSULIS OLIM NOBILISSIMI ET AMPLISS. IN CIVITATE THOR.
FILIA,
OPTIMARUM VIRTUTUM ELEGANTIA EXORNATA,

CATHARINA,

d. XXV. APRIL. CIↃIↃCCXIII.
CELEBRATIS.
BONI OMINIS CAUSA LUSU HERMETICO
PROPOSUIT
P. I. G. R.

THORUNII,
Impressis Joannes Nicolai, NOB. SENAT. & GYMNASII Typograpush

ADeste Chemici & Botanici,
adolescit VER
opibus vernalibus abundans.
Terrae satis turgidae tument,
herbidae & florulentae,
timent artis periti satis,
ne pereat tempus opportunum,
aut aliis herbam porrigant
in colligendis floribus & herbis,
aut rore solis
ad rarum Solem eliciendum,
Fervent balnea maris
ut (a) *liquorem Mercurii s. Salis*
vel laudanum aliquod exhibeant Chemici,
utinam tale
qvale laudatur Theophrasti,
tunc Salem habere diceres.
Sed
aspicias Coelum Chemicum,
ubi modo caligo modo lux apparet,
*S*olem, *L*unam, *S*aturnum, *V*enerem,
Mercurium & reliqua contemplaris,
*A*nnum, mensem *S*eptimanam & diem.
Hercules enim philosophicus est Sol philosophorum,
duodecim labores conficiendi
signa tot sunt,
quot in Zodiaco numeras,
antequam lux aperiatur.
Ita Hercules philosophicus mundum,
qui materia est,
certo pervagatur circuitu,
donec videatur in Coelo Chemico.
Sic BASILIUS:
Sex loca Rex noster in Coelo peragrat
& in septimo Sedem figit.
Contemplare Saturnum, habes sedem,
Tandem novo circuitu circumactum,
Solem & diem explendescentem intueris!
Arrige aures Chrysophile,
habebis aurum,

a) Ex mente Theophrasti est balsamus rerum, in quo consistit omnis sanatio & sustentatur corpus.

Dum

Dum annum & diem audis,
eam anni partem attende,
quae *Ver* dicitur.
Vulgo illud, ut est anni principium
ita principis terrae ubertatis indicium,
felicitatis eventurae exordium,
praesagium felix autumnitatis,
laboris & operae initium
post tristem hyemis noctem.
Concedam tantisper
mundum vere inchoatum, perfectum autumno,
ut autumant nonnulli.
*M*undus Chemicus incipit vere
finitur autumno.
Quot circulationes, sublimationes, triturationes,
digestiones non opus,
donec perficiatur opus,
& eveniat *revificatio, calcinatio & coniunctio*:
donec autumnalis nascatur ubertas.
Superiora fieri debent inferiora.
vagatur aliquid
quod ventus in utero portat,
cui Sol pater & Luna mater.
est aqua sicca manus non madefaciens.
Oedipo magis hic opus,
ut aenigmata hermetica eiusmodi solvat,
quam Hercule
qui non clavam sed clavem addat.
Feracissima hic Chemicorum coniectatio,
at in operis exitu utplurimum sterilis.
quaerunt fundum aenigmatis in Antimonio,
triumphant tamen saepius ante victoriam
& anteqvam *Rex* apparet
in *curru triumphali.*
Tantopere movent lapidem
ut lapidem offendant philosophorum
tam multis positum offensioni.
Huius nativitas vere incipi fertur
absolvi autumno.
Festi paganorum dies fere omnes ab igne incipiebant,
sine igne illum generari
novum monstrum est.

LATO.

LATONAM Ovidii hic vide,
aram in medio lacu lapideam.
Jurarent Iovem lapidem Argyrophili,
Symbolum esse
latentis lapidis & ignis fixi in medio confusi.
Ita horrorem aestus ver indicat
in Coelo Chemico,
ut luminis laeti splendor,
Sol philosophorum circumfulgeat.
Felix opera, quae tantis rependitur opibus,
neminem verni poenitebit laboris,
quem tantum non pigebit expectare autumnum.
At videor fere
ex vere Chemico in limbum (a ingredi
ubi magisterio & *Azot* Theophrasti opus,
ne b] realgar elementorum sentiam.
Tuum iam erit,
SPONSE aestumatissime,
qui artis huius peritior es,
intrare in *Museum Hermeticum*,
ubi incipis Ver Chemicum,
Laboris socia tua erit CATHARINA,
omni nitore & elegantia virtutum
vernans.
Prodit ex mente philosophorum
e contrariis conciliatis
Lapis ille laudabilis,
qui est
Pax, unio, generatio, vita.
Vnde opto,
ut svavi vestra laborandi societate
sociatos habeatis illos effectus,
qui animum satiant,
continuumque *amorem* efficiunt,
qui nec mas nec femina,
sed OMNIA.
Laboretis *laborem Sophiae* (c
ut prodeat cum tempore a vobis
divino auspicio
VER SACRVM.

a) Theophrasto mundum significat universum.

b) Fumus mineralium est & vitiosum elementorum.

c) Theophrasto Paradisus est.